



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvtatio LXIX. De numero & distinctione Angelorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

vel habere corpora, quod nimirum consistit substantiâ finitâ, & mutabili, nec alicujus compositionis, ut sect. sequente videbimus, capace, sicque ad puritatem spiritus in Deo non pertingunt. Unde sicut ob similem rationem creaturæ respectu Dei dicuntur à quibusdam non esse, seu non existere, & esse nihil; ita hic Angeli respectu Dei dicuntur non esse spirituales, sed corporei. Alii tamen, ut Valentia, Molina, Vasquez, Tannerus, Granado, Arriaga & alii admittunt Patres illos verè in eâ fuisse sententiâ, mihi que vorisimilius videtur eos ita sensisse. Hoc tamen sententiæ nostræ officere non debet, præsertim cum plures Patres à nobis stent, ut S. Dionysius, S. Ignatius Martyr, S. Irenæus, S. Gregorius Nazianzenus, & Nyssenus, S. Epiphanius, S. Chrysost. & alii.

Plures Patres affirmant quæ negantur Angelos esse purè spirituales.

SECTIO QUINTA.

Vtrum Angeli sint ex subjecto & formâ compositi.

I. Difficultas hæc procedit ex sententiâ materiam spirituales admittentis.

DIFFICULTAS hæc in nostrâ præcipuè sententiâ procedit, qui Disp. 9. de Anima sect. 2. & 3. possibilem esse diximus substantiam incompletam spirituales, aptam quæ tanquam compars animam rationalem, seu formam substantialem spirituales compleat, & cum eâ unum totum, seu compositum substantiale spirituales constituat, sive ea vocanda sit materia spirituales sive non. In hac itaque sententiâ, nulla apparet ratio cur Angeli ex hujusmodi materiâ non componantur: & ita de facto sentire videntur Halensis, S. Bonaventura in 2. dist. 3. art. 1. quæst. 1. Richardus in 2. dist. 3. art. 5. q. 2. & art. 2. q. 1. & alii.

II. Angeli simplices sunt, & non ex materia & formâ compositi.

Dicendum nihilominus, licet aliqua compositio substantialis defacto reperiatur in Angelis, non tamen componi eos ex materiâ & formâ, tanquam ex partibus substantialibus. Hæc est communis Theologorum sententiâ cum S. Thoma hic q. 50. art. 2. Prima pars constat, Angeli siquidem componuntur ex naturâ & substantiâ, nulla quippe est ratio, cur hoc animæ concedatur, & negetur Angelo: unde secundum omnes, eorum naturæ à verbo sunt assumptibiles, non minus quam naturæ hominum, dicente Apostolo ad Hebræos 2. v. 16. *nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*, non autem esset hoc speciale beneficium, & amor in humanum genus (quod tamen illic insinuat Apostolus) si Deus Angelos assumere non potuisset.

Secunda verò conclusionis pars, Angelos scilicet non esse ex materia spirituales & formâ compositos, probatur communi Theologorum prope omnium consensu, licet evidente aliqua ratione ostendi nequeat. Quare S. Thomas q. 6. de potentia, art. 6. *ad quartum*, hac de re disputans, cum quartum argumentum contenderet Angelos, & Dæmones si sint compositi substantialiter, debere necessariò esse corpora & constare nostrâ materiâ; sic Respondet: *Ad quartum dicendum, quod si Angeli ponantur ex materia & formâ compositi, non propter hoc oportet quod sint corporei ex ratione prædictâ, nisi ponatur quod sit eadem materia Angelorum & corporum: posset autem dici quod esset alia materia, à materiâ corporum divisa, non quidem dimensionis divisione, sed per ordinem ad alterius generis formam, nam potentia actus proportionatur: magis tamen credimus quod non sint Angeli ex materia & formâ compositi, sed sint formæ tantum per se stantes: Hæc S. Thomas.*

III. Communis Theologorum consensus ostenditur Angelos non esse ex materia & formâ compositos.

S. Thomæ.

His verbis Angelicus Doctor nostram tradit conclusionem, Angelos nimirum non componi ex materia & formâ, quamvis hoc demonstrari non possit, sed solum ex communi consensu habetur. Ratio autem seu congruentia, cur hoc omnium animis infideat, esse videtur; cum etenim in Angelis, utpote præcipuis inter res creatas, & Universi principibus, dignitatem quamdam omnes concipiant, concipiunt similiter eos & maxime à rebus sublunariis remotos, & consequenter ab hac compositione, quæ passim in his rebus invenitur, immunes. Sicut ob eandem rationem affirmant multi Cælos esse corpora simplicia, etiam non repugnet cæli ex materia & formâ compositi. Eodem ergo modo Angeli erunt spiritus simplices: magis tamen, ut ait S. Thomas citatus, credimus hoc quam probamus.

IV. Hæc in existendo simplicia quædam præ se ferunt spirituales dignitatis Angelorum.

Cæli sunt corpora simplicia, Angeli spirituales perfectè simplices.

Hinc à fortiori sequitur Angelos non esse compositos integraliter, seu habere partes extra partes, extensionem in ordine ad locum postulantes. Imò existimo hujusmodi partes in substantiam spirituales cadere non posse, planeque perfectionem ejus ac dignitatem dedecere; maxime cum, ut Disp. 8. de Anima, sect. 1. vidimus, Aristoteles, & S. Thomas, aliique viri doctissimi, formas etiam materiales animalium perfectorum asseruerint esse indivisibiles. Quod ergo hi brutis negant, quis tribuet Angelis: imò ut dixi, in re tam perfectam imperfectus adeo existendi modus videtur omnino cadere non posse.

V. Angeli nec sunt, nec esse possunt compositi integraliter.

DISPUTATIO LXIX;

De numero, & distinctione Angelorum.

SECTIO PRIMA.

Quo numero creati sint Angeli.

I. Quis de Angelorum numero senserit Aristoteles, & alii ex antiquis.

LURES de facto dari Angelos nulli dubium, qui Angelos admittit: quot verò sint, magna est inter auctores controversia, diversis ut sit diversa opinantibus. Aristotel. 12. Metaphy. cap. 8. numerum Angelorum solummodo posuit secundum numerum orbium celestium; ad quos, inquit, movendos tantummodo sunt producti. Unde ibidem asserit Commentator, *quod si essent substantie immateriales non moveres, essent otiosa*. Priori numero adjicit Avicenna aliam Intelligentiam mundi sublunaris præsidem, cujus munus esse docet formas substantiales in materiam dispositam inducere: sed ut rectè S. Thomas hic, quæst. 50. art. 3. ad tertium, cum primarius Intelligentiarum finis non sit movere Cælos,

Dd

Cælos,

Caelos aut curam rerum materialium gerere, sed suam intrinsecam perfectionem habeant à sublu- naribus rebus planè independentem, earum num- erus iuxta sphaerarum Caelestium numerum non est limitandus. Quare ut loco citato notat idem S. Thomas, Aristoteles tandem ait hanc ratio- nem non esse necessariam, sed tantum proba- bilem.

II. Angelorum magnà esse multitudinem agnovimus veterum an- tiqua.

Imò non planè incognitam Aristoteli & phi- losophis antiquis fuisse Intelligentiarum multitu- dinem patet; ipse enim Aristoteles i. de Caelo cap. 9. ait supra cœlum esse entia quaedam sempiterna, nullis alterationibus vel passionibus obnoxia, libetiam i. de anima cap. 5. ex Thalete refert omnia esse Deo- rum plena: Deorum autem nomine ait primas substantias intelligendas esse, id est Intelligentias separatas, de quibus tradit, eas putandas esse maximè beatas atque felices, earumque beati- tudinem, non in actione aliqua, sed in contem- platione positam esse. His denique ascribit regem, per hoc innuens, licet Intelligentiæ Dii appellerentur, inter eas tamen esse unum aliquod supremum Numen vere divinitatis particeps, quod alibi vocavit Ens Entium. Ex quibus constat, Ari- stoteli penitus ignotam non fuisse Angelorum multitudinem, nec ex mero munere movendi or- bes Caelestes, illorum eum numerum collegisse, cum dicat ex iis plurimos ab omni actione circa res corporeas esse immunes, & republicam in- ter se, extra & supra res materiales constituere.

Intelligentiis Regem assi- gnabat Ari- stoteles.

III. Magnam dari Ange- lorum nu- merum cer- tum est.

Nobis verò aliunde certò constat longè maxi- mam esse Angelorum multitudinem, cum in Scri- pturis sæpe asseratur: sic Daniëlis 70. v. 10. di- citur Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Item Apocal. 5. v. 11. Audivi vocem Angelorum multorum: & paulò post, & erat numerus eorum nullus millium, &c. malos etiam An- gelos magno numero esse, ex eo constat, quod ad Ephæsius 6. v. 12. dicat Apostolus esse nobis bel- lum adversus principes & potestates &c. & Tobiae 6. v. 8. extricat omne genus demoniorum. Ex quibus & aliis constat plurimos existere.

IV. Quantum in particulari sit Angelorū numerus est incertum.

Hoc certum: quis autem sit in particulari An- gelorum numerus, maximè est incertum: S. Tho- mas tamen citatus ait superare numerum rerum omnium corporearum; quod de speciebus saltem est intelligendum. S. Gregorius Nyssen. lib. de hominis opificio cap. 17. ait, licet in Angelis non sit propagatio, eorum tamen copias numero quo- dam esse infinitas. Velle autem determinatè dice- re quis sit Angelorum numerus, & utrum major an minor quàm hominum, divinare est. Dicunt aliqui plures multò esse Angelos, cum singuli ho- mines ex infuso Angelorum ordine sibi deputatos habeant custodes. Sed quid vetat diversis homi- nibus successivè eundem assignari custodem, sicut idem Angelus eidem provinciae perpetuò præest.

V. Plures Angelicæ- it sint an homines.

Alii plures esse dicunt homines, eò quod ter- tia pars Angelorum ceciderit, quorum locum sup- plent homines: plures autem quàm duæ tertiæ partes hominum damnantur. Sed primò non cer- tò constat illum Apocalypsis locum intelligi de Luciferò, & Angelis: multi enim illum interpre- rantur de Antichristo, & multitudine justorum, quos in errorem & ruinam secum est tracturus. Deinde unde habetur non plures homines salvan- dos, quàm Angeli sint damnati? Quare S. Augu- stinus in Enchirid. cap. 29. Per hominum, inquit, reparationem non solium civitas illa Caelestis nulla civium suorum numerositate fraudabitur, sed uberiore etiam copia sorte regnabit, quia non scimus quantum sit, vel

S. Augusti- nus.

salvatorum hominum vel malorum Angelorum nume- rus. Præterea suppleri loca Angelorum possunt ab hominibus, non per numeri æqualitatem, sed per excellentiam gloriæ, ita ut homines salvandi, licet numero fortè pauciores, ob abundantiam tamen gloriæ pluribus ex Angelis, qui cecide- runt, æquivalent. Sed horum, utpote incerto- rum, ulteriori discussione superfedebò.

Quo sensu homines sal- vandi An- gelorum nu- merum sup- plent.

SECTIO SECUNDA.

Utrum Angeli omnes necessariò diffe- rant specie: ubi de diversis eorum Hierarchiis.

TRIPLEX statuitur Angelorum Hierarchia, quæ idem est ac principatus sacer, seu colle- ctio personarum aliquo modo sacrarum sub ali- quo principe. In hac triplici Hierarchia novem sunt ordinum seu dignitatum gradus, in scriptura enumerati; nempe Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Dominationes, Virtutes, Throni, Cherubini, & Seraphini. Certum est itaque novem esse An- gelorum ordines, dignitate & gradu inæquales, li- cèt de modo quo inter se disponantur non satis constet: S. Dionysius tamen sexto de Caelesti Hierarchia & sequentibus illos eo ordine, quo à nobis recensiti sunt enumerat. Alii nihilominus Patres, tam Græci quàm Latini ordinem non ni- hil invertunt, eosque diversimodè collocant.

Triplex se- cundum Theologos datur an- gelorum Hierarchia.

Quo pacto in Hierar- chia inter se disponantur.

Quamvis autem nonnulla ex his nominibus, ut Virtutes, Dominationes, Throni usurpentur interdum ut pluribus ordinibus communia, se- cundum peculiare tamen significationes suis quæ- que ordinibus applicari possunt: unde & S. Paulus, ad Ephes. & ad Colossenses: de iis loquitur ut distinctis, sive Throni, inquit, sive Dominationes &c. Dari itaque distinctionem aliquam specifi- cam inter Angelos non videtur dubium, utpote quibus diversi competunt, etiam à naturâ, ordines & gradus, non à gratiâ tantum, cum & inter da- mones sit aliqua ordinum distinctio. Beelzebub enim in Scriptura dicitur princeps demoniorum. In presenti ergo inquirimus utrum ita distinguan- tur specie, ut nulli duo creari Angeli possint spe- cie non diversi.

Ex his no- minibus quæ- que à quavis accipiuntur.

Inter demon- nes aliqua est ordinum distinctio.

Thomistarum communis opinio est, non posse Deum, etiam de potentia absoluta duos Angelos creare, solo numero diversos: ita Cajetanus in Articulum quartum, disputationis quinquagesi- mæ, & alibi sæpe: quod etiam passim docent re- centiores Thomistæ, quibus aggregari vult P. Gra- nado hic, tractatu primo, Disp. quartâ: Thomi- stæ verò antiquiores hanc sententiam non do- cent.

III. Rectiorum quorundam de Angelorū distinctione opinio.

Dicendum, non repugnare ut producat Deus duos vel plures Angelos, solo numero distinctos, ita Scotus, Halensis, Durandus, Richardus, Al- bertus, & communis antiquorum opinio. Ex Thomistis etiam eandem sententiam tenent Ferrar- ra, Bannes, Zúmel, & alii nonnulli: idem docet Suarez Disp. 5. Metaphys. sect. 2. num. 23. & 28. & hic lib. 1. cap. 15. Arrubal, Hurtado, Disp. 12. Metaph. sect. 3. Arriaga hic, Disp. 4. Tannerus i. dub. 5. num. 19. & 21. & alii. Et sanè, quoad po- tentiam saltem absolutam, videtur clara mens Di- vi Thomæ, cujus auctoritatem hac in re optime examinat Suarez citatus, opusculo enim 16. in fine primæ objectionis Averrois sic loquitur. Valde videtur,

IV. Non repug- nant duo vel plures Angeli nume- ro distincti.

ruditer, inquit, argumentatur ad ostendendum, quod Deus facere non possit, quod sint multi intellectus ejusdem speciei, credens hoc implicare contradictionem. Unde ipsi Thomista quando S. Thomas alibi dicit, hoc esse impossibile, non posse fieri, &c. ipsum explicant, quod solum loquatur secundum potentiam ordinariam.

V. Dicitur in istiusmodi eadem est potentia ordinaria & absoluta.

Sed dicit aliquis cum Suarez lib. 1. cap. 15. n. 6. eandem hic esse potentiam ordinariam, & absolutam, nisi enim ex parte quasi objecti, & inter res ipsas sit aliqua multiplicabilitas numerica, non possunt duo Angeli numero tantum distincti produci, etiam de potentia absoluta: nec enim potest Deus per ullam potentiam producere id, quod in conceptu suo objectivo non involvit possibilitatem, seu quod non repugnat, alioqui potest Deus rem quamvis impossibilem pro libito reddere possibilem. Si verò sit ex parte objecti multiplicabilitas numerica in natura Angelicâ poterat duo vel plures ex ipsis numero distincti, simul, etiam de lege ordinariâ, produci.

VI. Aliud est duo simul esse possibile, aliud esse possibile simul.

At sane hoc universum non tenet, sunt in aliqua specie plura individua numero tantum distincta, ergo possunt simul de lege ordinariâ produci; aliud enim est simul esse possibile, aliud esse possibile simul, res quippe omnes ab aeterno simul erant possibile, non potuerunt tamen produci simul ab aeterno, cum secundum multos nec divinitus produci quidquam possit ab aeterno. Deinde duae partes durationis simul sunt, & in quovis instanti, etiam aeternitatis, possibile, quae tamen per nullam potentiam in eodem instanti, aut tempore possunt produci simul. Sic materia jam, seu simul potest recipere hanc vel illam formam substantialem, non tamen potest eas de lege ordinariâ recipere simul. Idem est de duabus ubicationibus ejusdem corporis in eodem loco, duabus actionibus, actibus intellectus respectu ejusdem objecti & subiecti, quae licet simul sint possibile, non tamen possunt sine miraculo inesse simul eidem subiecto.

VII. Hoc latus ostenditur auctoritate inter potentiam ordinariam, & absolutam.

Conclusionem verò num. 4. positam late probavi Disp. 2. Metaph. ubi ostendi principium individuationis non desumi à materia signatâ. Cum ergo haec ibi fusè dicta sint, non sunt hoc loco repetenda, sed ad ea quae in philosophiâ tractavi lectorem ad philosophiam remittam.

VIII. In quo sita sit diversitas specificae.

Quosdam etiam Theologos video, fusè hic disputantes, in quo sita sit diversitas specificae: sed cum hanc etiam quaestionem Disp. 5. de Anima late discussissem, dixerimque physice loquendo in notabili diversitate inter duo consistere, nihil hic amplius de illa adjiciam.

SECTIO TERTIA.

Inferuntur quaedam circa specificacionem, & aequalitatem, vel inaequalitatem Angelorum.

I. Duo, non numero tantum, sed etiam specie distincta, possunt esse inaequalia.

HINC infero contra patrem Hurtado Disp. 2. de anima sect. 6. & 7. Valquez tom. 2. in 1. p. dist. 122. cap. 2. & alios nonnullos posse nihilominus non duo individua solum, sed duas etiam res specie distinctas esse in perfectione aequales. De primo vix quisquam dubitat, imò ita plerumque contingit: duo enim ignes, duae aquae, calores etiam albedines, &c. aequalis inter se intensio, sunt aequales in perfectione substantiali, idque

licet in extensivâ perfectione sit inaequalitas. Multi quoque affirmant omnes animas hominum defecto esse in perfectione aequales. Quod si quis objiciat Doctores Parisienses damnasse sententiam asserentem omnes animas hominum esse in perfectione aequales, Respondet P. Hurtado hanc definitionem non transire Sequanam.

Secunda verò pars, quod scilicet duae res specie distinctae, esse possunt in perfectione substantiali aequales, probatur: nam secundum ipsum Hurtado dari possunt aliqui modi perfectiores aliqua substantia completâ; imò de facto ait unionem hypostaticam perfectiorem esse lapide vel igne, item aliquid non vivens perfectius esse aliquo vivente, ut Coelum urtica. Idem docet Zuniga Disp. 5. de Trin. dub. 12. memb. 3. num. 6. esse scilicet possibile aliquod accidens perfectius aliqua substantia. Deinde non videtur dubium quin creari possit aliqua avis perfectior aliquo animali quadrupede, lepore exempli causâ: cum ergo sint etiam nonnullae aves lepore imperfectiores, cur dari etiam non poterit aliqua ei aequalis, cum ave illâ quae est imperfectior, creari perfectior & perfectior possit usque ad illam lepore perfectiorem; ergo ex illis aliqua erit lepori in perfectione aequalis, & tamen specie differet à lepore, ergo.

II. Ostenditur duas res in perfectione aequales, posse esse specie distinctas.

Confirmatur in quantitate, ubi quia potest produci una quantitas auri minor palmo ligni, alia major, potest etiam produci una aequalis. Cum ergo in aliis sit sufficiens fundamentum ad asserendum posse dari rem unam aequalem alteri, quia potest dari major illâ, & minor, ita & hic: sicut enim in quantitate molis hoc non repugnat, ita nec repugnabit in quantitate perfectionis, seu virtutis.

III. A quantitate molis arguitur ad quantitatem virtutis.

Dices primò: duas quantitates quantitativè diversas, esse quantitativè inaequales, ergo duae res essentialiter diversae, esse debent essentialiter inaequales. Respondetur, vel per quantitativè diversas, intelligitur quantitates illas esse diversas in mole, vel in entitate; si secundum, non sequitur ex eo quod duae quantitates sint hoc sensu quantitativè diversae, esse eas inaequales, non in mole tantum sed nec in perfectione; quidni enim dari poterunt duae quantitates specie distinctae (qualem ponunt multi quantitatem Caelestem à sublunari) quae tamen quoad perfectionem sint aequales. Sin verò intelligatur primum, nil mirum diversitatem illam arguere inaequalitatem, hoc enim idem est ac dicere quantitates inaequales in magnitudine, esse inaequales in magnitudine; diversitas enim in magnitudine est inaequalitas, cum magnitudo sit species aequalitatis.

IV. Omnis diversitas quantitativa non arguit inaequalitatem.

Dicunt aliqui secundò: quae inaequaliter distant ab ente, non possunt inter se esse aequalia, sed omnes species inaequaliter distant ab ente, ergo. Primò negatur minor, incipiendo enim ab ente aequaliter per praedicationes formales ab eo distant ignis & aqua, & tamen specie inter se differunt. Deinde major propositio non est vera; sicut enim duo puncta sibi adversa aequaliter distant à centro, ut duo poli, Arcticus & Antarticus qui nihilominus à se invicem toto caelo differunt, ac distant, ita quidni duae species licet in distantia ab ente non sint inaequales, poterunt tamen inter se esse diversae, & distare in perfectione & econtra.

Inaequalitas molis quamnam arguit in quantitate diversitatem.

V. Non omnes species inaequaliter distant ab ente.

Deinde perfectio cujusque rei praecipue desumitur à differentia, haec enim est quae dat esse, & distinguit in Metaphysicis, sicut forma in physicis, quidni ergo possunt duae aliqua species, quae immediate participant & subsunt eidem generi, habere duas differentias inaequales, vel etiam quae non subsunt,

Quae inaequaliter distant ab ente possunt inter se esse aequalia, & econtra.

VI. Differentia distinguit in Metaphysicis sicut forma in Physicis.

subfunt, seu distant aequaliter ab eodem genere, habere econtrario duas inaequales: sicut enim materia prima contrahitur & limitatur quoad suam capacitatem, & indifferentiam physicam per formas speciem diversas, & inaequales, ita duae differentiae inaequales & inter se disparatae immediate contrahere poterunt idem genus: quod si praesent, species illae aequaliter distabunt ab ente, & tamen inter se sunt inaequales, ergo similiter econtrario.

VII. Plura praedicata in una specie participari possunt ab uno in alia.

Deinde ad aequalitatem, vel inaequalitatem in perfectione parum refert, quod aequaliter vel inaequaliter distent ab ente, plura enim praedicata quae una species participat, & in se continet, in altera suppleri possunt, imo & superari per unicum: sic Angelus per solum praedicatum intellectivi superat equum vel leonem, qui tamen plura praedicata in se continent, nempe vegetativum, sensitivum, & caetera, quae non continet Angelus.

SECTIO QUARTA.

Vtrum Angeli, qui de facto sunt, omnes differant specie.

I. An Angeli de facto omnes differant specie, est incertum.

CIRCA specificam distinctionem Angelorum infero ulterius, non satis constare, utrum omnes, qui de facto creati sunt, specie differant nec ne: licet enim rationes variis locis a D. Thoma allatae, ut quod hoc spectet ad ornatum, pulchritudinem, & perfectionem Universi, commendationem divinae potentiae &c. probabiliter hoc suadeant, non tamen convincunt: unde ex Sanctis Patribus non pauci affirmant multos ex Angelis jam creatis convenire specie, vel saltem rem omnino incertam esse asserunt: sic S. Damascenus lib. 2. de fide cap. 3. de Angelis loquens, Ac de

essentia quidem, inquit, aequalisne inter se, an disparatae sint, haudquaquam compertum habemus, solus ille scit, qui eos creavit, Deus. S. etiam Augustinus libro contra Origenistas ad Orosium ait, nescire se quomodo Angeli differant.

Alii vero multi ex Patribus absolute affirmant plurimos, imo omnes Angelos esse ejusdem speciei: sic S. Basilius lib. 3. de Spiritu S. contra Eunomium. Omnes Angeli, inquit, sicut appellationem unam, sic etiam naturam omnino eandem habent. S. Athanasius, libro ad Antiochum q. 4. de Angelis dicit, una tantum est essentia, sicut tantum est una essentia hominum: Tandem S. Anselmus, lib. 2. cur Deus homo cap. 21. Quamvis, inquit, omnes (Angeli) sint unius naturae, non sunt ejusdem generis sicut homines, id est non omnes ab uno Angelo propagati, sicut homines omnes ab uno homine: unde per genus ibi intelligit profapiam.

II. Multi ex sanctis Patribus dicunt Angelos de facto non differre specie.

Imo ipsi etiam Auctores Scholastici sunt hac in re non parum inter se divisi: Albertus Magnus, S. Bonaventura & alii nonnulli, omnes omnino Angelos ejusdem esse dicunt speciei atomae. Alii vero ut Alexander, Gabriël, Dionysius Carthus. licet illos qui sunt diversi ordinis vel saltem diversae Hierarchiae velint esse specie diversos, aiunt nihilominus Angelos ejusdem ordinis esse numero tantum distinctos, & hoc modo explicant Patres supra positos.

III. Quid sentiant Scholastici de distinctione speciei ad Angelorum.

Ex his constat rem hanc esse omnino incertam: nec mirum, nam ut bene Vasquez hic, Disp. 181. cap. 2. cum etiam in iis, quae oculis videmus, satis discernere non possimus, distinguantur specie necne, quid mirum si id in illis praestare nequeamus, quae a sensibus remota, plane aspectum nostrum fugiunt, & in quibus fere non procedimus nisi divinando.

IV. Conclusio circa distinctionem speciei Angelorum.

DISPUTATIO LXX.

De Angelorum Incorruptibilitate.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Angeli sint incorruptibiles.

I. De qua incorruptibilitate sit hic sermo.

INCORRUPTIBILES, inquam, incorruptibilitate, non prout excludit corruptionem proprie dictam, seu suspensionem actionis generativae, vel educivae ex subjecto; Angeli enim cum ex nullo subjecto educi sint, certum est eos non hoc modo esse corruptibiles, nec divinitus; cum tamen forma caeli, si non sit corpus simplex, licet incorruptibilis naturaliter, possit nihilominus per potentiam Dei absolutam hoc modo corrumpi, suspendendo scilicet actionem educivam, per quam produciuntur. Quae ergo praesens est, utrum postea quod semel producantur, sint ab intrinseco incorruptibiles, seu inannihilabiles, ita ut ex natura sua petant perpetuo durare, & connaturaliter destitui non possint.

Statu praesentis quaestio.

II. Certum est

Angelos aliquo modo esse incorruptibiles, saltem ex decreto Dei, eos perpetuo volentis con-

fervare, certum est apud omnes, tum quia Sancti Patres id ubique asserunt, tum quia a Conciliis etiam est definitum. Controversia ergo solum procedit, utrum ubi semel creati fuerint, hoc Dei decretum, perpetuo scilicet eos conservandi, possint.

Angeli esse aliquo modo incorruptibiles.

P. Vasquez hic Disp. 182. cap. 2. licet in ordine ad potentiam creatam Angelos immortales esse dicat, & incorruptibiles, ait tamen respectu potentiae Dei, tam Angelos, quam animam hominis omnemque adeo creaturam, esse naturam suam mortalem, & corruptibilem, late sumptam corruptibilitate, prout etiam annihilabilitatem includit. Quam similiter sententiam amplectuntur alii nonnulli, ut Lessius, Becanus, Alarcon, qui proinde merè ex gratia Dei Angelos & animam hoc sensu aiunt esse immortales, respectu Dei scilicet, quamvis a nulla creatura destrui possint.

III. Quae sententia dicant aliqui Angeli esse naturaliter corruptibiles.

Secunda sententia est Divi Thomae, qui hic, q. 50. art. 5. absolute docet Angelos, omnemque substantiam spirituales esse naturam suam incorruptibilem. Sanctum Thomam sequitur Cajetanus ibidem, Ferrara 3. contra Gentes, cap. 55. & Thomista

IV. Angeli sunt naturaliter incorruptibiles.